

S. Jacobi de Compostella¹ lucrantur, si sex Pater, sex Ave et sex Gloria in honorem SSmæ Trinitatis et Deiparæ Virg. Immaculatæ pro hæresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiæ atque Christianorum principum pace et concordia orando, licet genibus non flexis, recitaverint—i. e. lucrantur omnes illas indulgentias, quas eadem die ii lucrantur, qui prædictas Ecclesias cum vel sine Sacramentorum susceptione visitant,—et quidem (exceptis illis plenariis in certos dies concessis Ecclesias prædictas visitantibus,² nisi expresse a S. Sede eas pluries in die lucriferi posse permissum sit) toties, quoties præfates preces fuderint, idque sine Sacramenti Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceptione et cum licentia, omnes has indulgentias animabus in purgatorio detentis applicandi.³

Appendix formularum pro facultate obtinenda Scapularia imponendi:

I. Rme Pater!—N. N. Sacerdos Diœcesis N. petit humiliter facultatem benedicendi et imponendi *Scapulare SS. Trinitatis*. Pro qua gratia etc.

Datum . . . N. N. (*addendo ea sub p. 127*).

Directio: Ad Rvdmm P. Generalem Ord. SS. Trinitatis—S. Crisogono (Trastevere)—ROME, Italy.

II. Ut sub I. . . . *Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo* . . .

Directio: Ad Rvdmm P. Generalem Ord. Carmelitarum—S. Maria Traspontina—*aut*:⁴ Via della Panetteria, 45.

III. Ut sub I. . . . *Scapulare cæruleum B. M. V. sine labe conceptæ* . . .

Directio: Ad Rdmum Generalem Congregationis Clericorum Regularium—S. Andrea della Valle, Via dei Chiavari, 3.

IV. Ut sub I. . . . *Scapulare Septem Dolorum B. M. V.* . . .

Directio: Ad Rmum P. Generalem Ord. Servorum B. M. V.—S. Marcello, Via S. Marcello, 20 A.

¹ Indulgentiæ harum Ecclesiarum sunt permultæ, at quoad singulas parum notum est. De indulgentiis Septem basilicarum Urbis cfr. Beringer p. 387, de illis Ecclesiæ Compostellæ ib. p. 377.

² Ex *Decr. Delatæ sæpius* (*Decr.* n. 18 ad finem) juxta *Decr.* n. 374 ad 3.

³ Plura de hoc apud *Le Canoniste contemporain* 1892 p. 58 seq.

⁴ In priori loco calceatorum, in posteriori discalceatorum Superior Generalis habitat. Facultas utriusque est æqualis valoris.

V. Ut sub I. . . . *Scapulare rubrum Passionis* et Sacratissimi Cordis D. N. J. Chr. neonon et Cordis amantissimi et compatientis B. M. V. Immaculatæ. . .

Directio: Ad Rvdmm P. Procuratorem Congregationis Missionis—Monte Citorio, Via della Missione, 2.

NOTA. Facultas sub I. et V. obtineri potest etiam ut supra n. 195 App. iv. b. indicatur.

VI. *Pro facultate utendi unica breviori formula in quatuor Scapularium impositione.*

Beatissime Pater!—N. N. Sacerdos Diœcesis . . . ad confessiones excipiendas approbatus, ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus humiliter petit facultatem benedicendi et imponendi sub unica formula quatuor scapularia, scilicet SS. Trinitatis, rubrum Passionis D. N. J. Chr., Immaculatæ Conceptionis et Septem Dolorum B. M. V. quæ ex facultate sibi a respectivis Ordinum Superioribus concessa singula seorsim jam potest benedicere et imponere. Et Deus etc. (*Ad Sacram Congregationem Rituum—Rome, Italy. Cancellaria Apostolica.*)

NOTA. I. Solvendi sunt qua taxa 10 franci, pro agente 6 fr.—II. Formula, de qua in supplica, habetur ap. Ber. ed. 10, iii, p. 26.*

Punct. 2. *De Confraternitate S. Scapularis ipsa.*¹

Regulis de Confraternitatis erectione, Scapularis impositione et gestatione jam expositis, hic manent notanda, quæ sequuntur:

200.—I. Valor facultatis.

Facultas æqualis valoris est, sive a Carmelitis calceatis sive a discalceatis accipiatur.²—Simul cum facultate Scapulare benedicendi conceditur altera impertiendi Benedictionem Papalem in articulo mortis, quam, si deficiat Sacerdos potestate præditus munia directoris Confraternitatis exercendi, quilibet confessarius dare potest,³ adhibita tamen formula Bened. XIV.

II. Privilegia.

Duo sunt privilegia, quibus hæc Confraternitas præ cæteris eminet:

a. *Primum* derivatur a revelatione facta S. Simoni Stock,

¹ Ber. p. 708-727 (630-643); *Coll. Prop.* n. 1099 seq.

² S. C. Ind. 27 Apr. 1887 ad x.; *Acta S. Sedis*, xix. 556.

³ S. C. Ind. 27 Apr. 1887 ad xiii.

Superiori Generali Ord. Carm. 16 Julii 1251, ubi B. M. V. ei Scapulare porrigens dixit: "Hoc tibi erit et cunctis Carmelitis privilegium: *in hoc moriens æternum non patietur incendium*;" unde etiam *privilegium bonæ mortis* dicitur. Hæc promissio tanquam genuina defenditur a Bened. XIV. *de Festis* p. ii. n. 76, intelligenda autem est secundum morem loquendi in S. Scriptura usitatum, ut: "justificari hominem per fidem" (*Rom.* iii. 28) "qui manducat hunc panem, vivet in æternum" (*Joan.* vi. 59) etc.¹—Ad hoc acquirendum nihil requiritur nisi pia gestatio hujus Scapularis præsertim in articulo mortis, supposita legitima ejusdem susceptione.

b. *Secundum* privilegium est promptæ liberationis ex purgatorio seu *sabbatinum*, quia B. M. V. in apparitione Joanni XXII. facta gestantibus hoc Scapulare promisit se eosdem, præcipue *Sabbato* post eorum mortem, ex purgatorio liberaturam esse. Pontifex autem, ut ipse enarrat in Bulla: *Sacratissimo uti culmine* de die 3 Martii 1322, authentica declarata a Clem. X. 8 Maji 1673, hanc promissionem tanquam indulgentiam extraordinariam ratam habuit. Confirmatur hoc privilegium per lectiones II. Noct. festi B. M. V. de Monte Carmelo (16 Julii) secundum votum Card. Bellarmini 20 Junii 1609 et 15 Julii 1612 a S. Pontifice approbatas, et per Decr. S. Off. 15 Febr. 1613² quo Carmelitis permissum fuit, illud publice prædicare. Unde juxta Bened. XIV.³ nulli catholico id impugnare licet.—Conditiones autem ad hoc privilegium acquirendum sunt⁴ (præter dicta):

1. Ut *pro sui quisque status ratione* castitatem colat.⁵

2. Ut, qui legere norit, quotidie recitet Officium parvum B. M. V. i. e. Nocturnum diei cum Laudibus et cæteras horas ejusdem diei, idque juxta ritum Romanum, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.⁶ Qui ad Officium magnum aut parvum obligati sunt, id adimplentes satisfaciunt.

¹ Sylveira: *Apologia Carmelitana seu Commentaria ad Lectiones B. M. V. de Monte Carmelo*, Opuscula, Venetiis 1728, qu. 24.

² *Rescr. auth.* ii. n. 34.

³ *De Festis*, ii. c. 6.

⁴ *Rescr. auth.* i. c.

⁵ Brev. Rom. 16 Julii Lect. VI.

⁶ *Decr.* n. 419; *Ber. ed.* 10, p. 97, ubi ex hoc infert, illud recitari debere in lingua latina.

Qui vero legere nesciunt, debent servare jejunia Ecclesiæ, et abstinentiam feria quarta et Sabbato, nisi in hos dies incidat Nativitas Domini.—Conditiones prædictæ in sensu stricto accipiendæ sunt, ita ut qui legere potest, nequeat proprio arbitrio eligere abstinentiam et observantiam jejunii supra expositam, et ab iis, qui legere nesciunt, abstinentia servanda sit etiam illis diebus prohibitis, in quibus vi indulti comestio carniū concessa est. At ovis et lacticiniis uti possunt.¹

Hanc tamen conditionem de Officio vel abstinentia "ob justam causam *confessarius*, habens *specialem* facultatem, in aliud opus pium *commutare* potest." Ita *Ritus servandus*.² Hæc facultas, quæ per se in illa benedicendi et imponendi Scapularia non est contenta,³ nunc una cum illa concedi solet.⁴ Commutatio a confessario facultate donato fieri potest etiam extra Confessionem⁵ et semel pro semper, attamen semper considerata cujusque justa causa, ergo non nisi in casu raro generaliter pro communitate in unum et idem opus facienda est. *Commutatio* tamen in omni casu videtur requiri. Decreta enim, quæ allegantur pro argumento, quod confratres accedente *gravi* impedimento non teneantur ad hanc conditionem, non sunt in Collect. auth.

NOTA. Ex indulto S. Congr. Ind. 20 Junii 1894 omnes receptiones in Confraternitatem S. Scapularis quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractæ sanationem acceperunt. (*N. R. Th.* xxvi. 482.)

II. DE CONFRATERNITATE SS. ROSARIJ.

Punct. 1. *De Rosariis in genere.*

201.—I. Rosarium proprie dictum⁶ est illa series precum, quæ S. Dominicum præcipuum auctorem habet, et si constat centum quinquag. Salutationibus Angelicis in quindecim decadibus, *integrum Rosarium* seu *Psalterium*, si vero ex quinquaginta in quinque decadibus consistit, *tertia pars Rosarii* aut etiam Rosarium simpliciter, proprie vero *Corona* vocatur, sub

¹ S. Congr. Indulg. 3 Dec. 1892 apud *Acta S. Sedis*, xxv. 430.

² *Ber. p.* 713 (633).

³ *Decr.* n. 305.

⁴ *Ber. ib.*

⁵ S. Alph. vi. 534 ad 15; *Ber. ed.* 10, pag. 633.

⁶ *Ber. p.* 372 (311); Leikes: *Rosa aurea*, Dülmen, 1886; *Coll. Prop.* n. 1081 seq.

qua voce tamen omnes quoque similes devotionis species comprehenduntur. Inde patet ratio, cur juxta decis. S. Off. de 2 Julii 1884 ad viii. in fac. 26 Formulæ I. Rosarium quindecim decadum intelligatur.—Rosarium hoc est, quod P. Leo XIII. ex anno 1883 identidem, et præsertim per Decreta S. R. C. de 20 Aug. 1885 et 26 Aug. 1886 necnon per Litteras encyclicas: *Magnæ Dei Matris* de 8 Sept. 1892 et per alias fidelibus per Orbem pro mense Octobri ob pericula Ecclesiæ commendavit variis gratiis adjectis.¹—Rosarium etiam ab iis recitatum, qui non sunt aggregati Confraternitati, permultis indulgentiis (centum dierum pro singulis Pater et Ave etc.) gaudet,² ad quas lucrandas requiritur:

a. Ut Rosarium materiale *benedictum sit ab habente ad hoc specialem facultatem* (quæ propria est Religiosis Ordinis Prædicatorum et tum a S. Sede tum a Generali dicti Ordinis³ obtineri potest, non autem concessa esse censetur in sola facultate erigendi Confraternitatem⁴ aut in eam fideles recipiendi),—adhibita *formula Ordini Prædicatorum propria*,⁵ ea scil., quæ est in Rit. Rom. ed. Ratisbon. 1882, p. 112 et ap. Ber. p. 860, (iii. 4*), non vero illa in “Excerpt.” ex Rit. Rom. ed. 8, pag. 433.

b. Ut *constet quinque*, decem aut *quindecim* decadibus, non vero *sex* etc. (Ber. ed. 10, p. 344.)

c. Ut inter *orandum Rosarium a singulis manu teneatur* et juxta morem adhibeatur, nisi duo vel plures simul sese congregent ad Rosarium recitandum, ubi sufficit, ut unus Rosarium adhibeat, reliqui autem ab occupationibus exterioribus, quæ internam attentionem ad devotam Rosarii recitationem pro lucrandis indulgentiis præscriptam impediunt, abstineant et ei uniantur.⁶

d. Ut recitatio Rosarii fiat pro cujusque capacitate cum *meditatione mysteriorum*, quæ ex vita Domini de more nominantur, quamvis hæc expressa nominatio non requiratur sed sufficiat meditatio mentalis, dum recitantur Pater et Ave, rudes

¹ Ber. p. 294; *N. R. Th.* xxiv. 565; *Coll. Prop.* n. 2206.

² *Raccolta*, p. 204.

³ Cfr. n. 195, App. iv. a.

⁴ *Decr.* n. 270, 1.

⁵ Ib. n. 401.

⁶ Ib. n. 384 et *Decr.* S. C. Ind. 13 Nov. 1893 ap. *Act. S. Sed.* xxvi. 310.

vero et meditationibus non assueti saltem devote Rosarium recitent.¹

e. Ut *saltem* Rosarium *quinque decadum uno tractu* i. e. sine notabili interruptione recitetur. Nihil refert, quæ mysteria eligantur: an gaudiosa, an dolorosa, an vero gloriosa.²

Hæc valent de illis, qui non sunt membra Confraternitatis S. Rosarii. De membris infra punct. 2.

II. Aliæ Coronæ Rosario S. Dominici similes sunt:

a. *Corona S. Birgittæ*,³ quæ sive in originaria forma sex decadum, sive in breviori cum quinque decadibus, in singulis decadibus præter unum Pater et decem Ave habere debet unum Credo (additis in priori uno Pater et tribus Ave), cum diversis indulgentiis,⁴ a facultatem habente (qualem Episcopi nostri unacum facultate benedicendi res devotionis cum applicatione indulgentiarum Papalium accipiunt⁵) benedici potest solo signo Crucis, modo contineat quinque, sex, decem, aut quindecim decades. Meditatio mysteriorum in ea non requiritur.⁶

b. *Corona VII. Dolorum B. M. V.*⁷ consistens ex septem decadibus (singulis ex uno *Pater noster* et septem Salutationibus Angelicis) additis tribus *Ave* in fine: cum multis et magnis indulgentiis (centum et plurium dierum ad singula Ave),⁸ quæ (exceptis aliquibus) luciferi possunt etiam absque meditatione dolorum B. M. V.⁹—Corona benedicenda est cum propria formula¹⁰ ab habente ad hoc specialem facultatem. Hæc obtineri potest a P. Generali Servitarum. (Cfr. n. 199, App. iv.)

c. *Corona Domini* consistens ex triginta tribus Pater noster ob totidem annos commorationis Christi Domini in terra. Benedicatur a Monachis Camaldulensibus.¹¹

d. *Corona parva Immac. Conc. B. M. V.* consistens ex tribus decadibus (singulis ex vers. *Benedicta sit Sancta et Immaculata*

¹ Ib. n. 273.

² Ib. n. 385 ad 2 et 273 ad 5, n. 291 ad 8.

³ Ber. p. 358 (328); *A. E. Rev.* 1890, p. 352 et supra n. 184.

⁴ *Raccolta*, p. 190.

⁵ Cfr. supra n. 184, nota.

⁶ *Decr.* n. 273 ad 1.

⁷ Ber. p. 367 (326).

⁸ *Raccolta*, p. 201; *Rescr. auth.* p. 650.

⁹ Ita Leo XIII. 15 Maji 1886.

¹⁰ *Decr.* n. 401; Ber. ed. 10, iii. 24*.

¹¹ Ber. p. 346 (319) et *Raccolta*, p. 46.

Conceptio B. M. V.—uno Pater et quatuor Ave et uno Gloria Patri). Corona materialis non requiritur, nec ejus benedictio.¹

c. Reliquæ Coronæ describuntur apud Beringer et quoad indulgentias etiam in opere: *Raccolta*.

Punct. 2. *De Confraternitate SS. Rosarii ipsa*.²

202.—Ejus nomen ex eo oritur, quod eidem adscripti sibi proponunt, *per hebdomadam saltem* integrum Rosarium quindecim decadum recitare cum meditatione mysteriorum. Hæc fere unica obligatio (peccatum non attrahens, si violatur), est quidem conditio ad lucrandas indulgentias recitationi Rosarii annexas, non autem pro aliis in eadem concessis,² et adimpleri potest per recitationem etiam *pluries* interruptam.⁴ Quoad erectionem etc. vide supra n. 185 etc. de Confraternitatibus in genere, et nota insuper, erectionem hujus confraternitatis non fieri per Generalem PP. Dominicanorum ipsum, sed per Sacerdotem ab eo delegatum (juxta dicta n. 185 A. Nota 1.), eamque nunc de valore faciendam esse “media prædicatione” i. e. in actu erectionis habendum esse sermonem de excellentia SS. Rosarii.⁵

Demum a Leone XIII. 28 Sept. 1893 omnes Confraternitates S. Rosarii invalide erectæ revalidatæ et iterum die 20 Maj. 1896 eadem ob quemcumque defectum nullitatis vitio affectæ in radice sanatæ et quatenus opus fuerit, auctoritate apostolica de novo erectæ sunt.⁶

Plurimas ejus indulgentias et gratias vide ap. Beringer p. 695 (618) et in summario approbato in *Rescr. auth.* ii. n. 21. Eminent vero inter omnes *indulgentia plenaria defunctis applicabilis*, quæ (ut indulgentia Portiunculæ in Ecclesiis Ordinum S. Francisci die 2 Augusti)⁷ sub conditione Confessionis et Communionis in *Solemmitate SS. Rosarii* ab omnibus *Christifidelibus* lucriferi potest *toties, quoties* in honorem B. M. V. ob victoriam apud Echinadas Insulas (Lepanto) 1571 de Turcis

¹ Ber. p. 193 (178).

³ Decr. n. 431 ad 3.

⁵ Ber. ed. 10, p. 614.

⁶ *Past. Bl.* 1894 p. 84; *Act. S. Sed.* xxviii. 751.

⁷ Ber. p. 429 (389).

² Ber. p. 689 (610); Leikes l. c.

⁴ Ib. n. 385 ad 2.

reportatam a primis Vesperis cappellam Confraternitatis aut simulacrum B. M. V. Rosarii extra dictam cappellam publicæ venerationi expositam¹ visitaverint ibique ad intentionem S. Pontificis oraverint.²—Ideo in erectione Confraternitatis talis cappella aut saltem simulacrum a Parocho cum consensu Eppi designandum est.³

NOTA. I. “Omnibus *Sacerdotibus Ordinis Prædicatorum* sub jurisdictione Nostra viventibus, et juxta leges Ordinis ad audiendas confessiones approbatis, impertimus . . . facultatem recipiendi Christifideles ad Societatem SS. Rosarii, sub ea . . . conditione, ut receptorum nomina regesto alicujus confraternitatis canonice erectæ inscribantur, simul ac facultatem benedicendi coronas, rosas et candelas SS. Rosarii.” Ita Rmus Mag. Gen. Ord. Præd. die 18 Dec. 1894, et die sequenti: “Omnibus *Presbyteris*,” ait, “*Congregationis SS. Redemptoris*, dummodo juxta leges sui instituti ad audiendas confessiones sint approbati, facultatem impertimus ut omni tempore, ubique terrarum, locis dumtaxat exceptis, ubi sunt domus patrum Ordinis Prædicatorum, sive intra, sive extra domus Congregationis SS. Redemptoris reperiantur, sive publice sive privatim, nullo super hoc consensu Ordinarii loci requisito, Christifideles utriusque sexus Societati SS. Rosarii adscribere, dummodo tamen novorum sodalium nomina transmittantur regesto alicujus Confraternitatis SS. Rosarii canonice erectæ inscribenda, simulque coronas, ex quinque, decem vel quindecim decenariis coalescentes, rosas et candelas SS. Rosarii cum formulis de more præscriptis benedicere valeant.” *Nouv. Revue Théol.* xxvii. p. 382–387.

II. Magnopere juvat erigere Associationem *Rosarii viventis*, in qua sorte aut alio modo attentis personarum et locorum circumstantiis opportuniori singulis mensibus una tantum decas cuique ex membris obvenit recitanda cum mysterii meditatione, utendo Rosario S. Dominici benedicto.⁴

III. CONFRATERNITAS BONÆ MORTIS.

203.—Hujus plenus titulus est: “Congregatio sub invocatione D. N. J. Christi in Cruce morientis ac Beatissimæ V. M.

¹ *Rescr. auth.* i. n. 404. ² Ber. p. 697 (620). ³ Ib. p. 694 (617).

⁴ Ib. p. 703 (625); *Irish Rec.* 1890 p. 815; 1891 p. 134 seq.; *N. R. Th.* xx. 50.—S. C. Ind. 25 Maj. 1894 ap. *Il Mon. eccl.* vol. ix. part. i. p. 29.

ejus Genitricis perdolentis, vulgo Bonæ Mortis.”¹—Ejus finis est præparatio fidelium ad bene moriendum per varia pietatis exercitia, præsertim per meditationem devotam *agoniæ* Domini. Unde vulgo vocatur *Confraternitas agonie Domini*. Quoad ejus erectionem etc., cfr. supra de Confraternitatibus in genere. Indulgentias vide in *Rescr. auth.* ii. n. 77.

204.—Corollaria quoad facultatem erigendi Confraternitates in præ. Art. contentam.

I. Dicitur in eo: *erigendi* (Quid sit erectio Confraternitatis cfr. n. 185.) *Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo, etc.* Episcopus ergo et Presbyteri sacro ministerio fungentes, quibus communicavit hanc facultatem, erigere possunt: **a.** Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo et Bonæ Mortis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ S. Pontifices iisdem impertiti sunt (n. 188 **b.** 3, n. 193 etc.); **b.** Confraternitatem SS. Rosarii autem cum applicatione indulgentiarum concedi solitarum tantum (n. 185 **a.** nota iii. ad fin.) Pro indulgentiis Confraternitati SS. Rosarii in *Rescr. auth.* ii. n. 21 contentis aggregatio in Archiconfraternitatem (per litteras directas ad Revdmum Magistrum Generalem Ordinis Prædicatorum—via S. Sebastiano 10 presso Piazza di Spagna—Rome, Italy) facienda est juxta dicta n. 189.

II. Sacerdotes, quibus hæc facultas communicata est, Confraternitates erigere possunt absque alio consensu Episcopi, et in actu erectionis etiam constituere Rectorem ejusque substitutum. Pro statutis vero requiritur approbatio Episcopi (n. 186). Facultas communicata non corrumpitur morte Episcopi (n. 31).

III. Episcopus (Rector) vi facultatis erigendi Confraternitatem SS. Rosarii et B. M. V. de Monte Carmelo non potest benedicere Rosaria S. Dominici nec potest benedicere et imponere Scapularia B. M. V. de Monte Carmelo confratribus et multo minus omnibus fidelibus. Hoc nunc certum est ex Responso Emi Card. Præfecti die 11 Sept. 1895 mihi per Excellmum D. Delegatum Apostolicum gratiosissime dato.²

¹ Ber. p. 792 (712).

² Vide A. E. Rev. xiv. p. 345.

Ratio est, quia facultas erigendi confraternitatem plane distincta est a facultate benedicendi Rosaria et Scapularia, et utraque in Formulis alibi concessis distinctim et speciatim communicatur.¹ Insuper idem eruitur ex *Decr.* n. 312 ad 4 et 343 ad 1.

ARTICULUS X.

“ERIGENDI IN LOCIS SUÆ DIOECESIS, IN QUIBUS NON ADSINT PP. FRANCISCALES, PIUM EXERCITIUM VIÆ CRUCIS CUM APPLICATIONE OMNIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM, QUÆ SUMMI PONTIFICES EJUSMODI EXERCITIUM PERAGENTIBUS IMPERTITI SUNT, ADDITA INSUPER POTESTATE HANC FACULTATEM COMMUNICANDI PRESBYTERIS SACRO MINISTERIO FUNGENTIBUS.”

Pro recto usu hujus Art. addo sequentia:²

205.—I. Ubi Via Crucis erigi potest?

Resp. **a.** in Ecclesiis, sub quibus intelliguntur etiam oratoria publica, auctoritate Episcopi erecta et per viam publicam ingressum habentia;³—**b.** in oratoriis hospitalium, conservatoriorum aliorumque locorum piorum talem ingressum non habentium;—**c.** in cœmeteriis;—**d.** in oratoriis privatis, sub quibus eã tantum intelliguntur, quæ privilegio celebrationis Missæ gaudent;—**e.** extra Ecclesias et oratoria in locis communibus Conventuum, conservatoriorum, hospitalium, dummodo hæc loca sint decentia et usui profano non deserviant,⁴ etiam in locis sub dio, modo ædiculæ pro singulis stationibus erectæ cancellis tutentur, ne animalia aut homines ingrediantur;⁵—**f.** in cappellis privatis et cellis domesticis, facultate celebrationis Missæ carentibus, modo non pro dormitorio aut alio usu domestico vel profano destinata sint.⁶

Porro in eodem loco, præsertim in Conventibus, conservatoriis

¹ Cfr. supra n. 185 **a.** Nota iii. Formula R.

² Cfr. Ber. p. 265 (244) seq. Instructio de Stationibus Viæ Crucis—approbata a S. C. Ind. 21 Martii 1884. Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1884.—*Coll. Prop.* n. 1064 seq.—De facultate Epporum Canadens. cfr. n. 249 ad 14.

³ *Decr.* n. 365 ad 1.

⁴ *Ib.* n. 100 ad 3.

⁵ *Decr.* n. 236.

⁶ *Instr. cit.* n. 19.